

[104.]

1978

N

12



78 N 12 [104]

AFFLUENTIAM
 GRATIÆ COELESTIS
 PRO
 INSIGNIS BENEFICENTIÆ
 PROFLUENTIA
 PER-ILLUSTRI ATQVE EXCELLEN-
 TISSIMO DOMINO,
DN. CAROLO
 de **DIESCAU,**
 CONSILIARIO POTENTISSIMI REGIS
 BORUSSIÆ INTIMO ETIAM REGIMINIS AC
 PROVINCIÆ MAGDEBURGICÆ ET RE-
 DITUUM DIRECTORI SUPREMO,
 TOPARCHÆ IN DIESCAU ET LOCHAU,
MÆCENATI AC PATRONO
DEMISISSIME COLENDO

SUB AUSPICIUM HUIUS M DCC XIX ANNI
 APPRECARI VOLUIT, DEBUIT,

PER-ILLUSTRIS EJUS NOMINIS

OBSERVANTISSIMUS CULTOR
 JOHANN GOTTLOB BRAUN, Alsleb. Magdeb.
 Theol. Studios.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
 Typis CHRISTOPH. ANDRÆÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



Kapsel: 78 N 12 [104]

AK



ceani, vastis orbem qui circuit undis,
Si seco naturam pectore rite meo.
Partibus his fluvios sibi devincire videtur,
Quod semper nutrit fluctibus hosce suis.
Hique per errores & tædia longa viarum
Quas debent undas, in sua centra ferunt.
Hinc prisca vates, gens non inidonea nugis,
Oceanum soliti sunt cecinisse patrem
Sæpius hunc ornant in signi nomine regis,
Jam dictas calamo respiciente vices.
Hæc equidem tricas, queis vatum cœtus ineptit,
Cassæ jungendas arbitror esse nuci.
Res ego festiva sub imagine curo latentes,
Cætera ridiculo vana relinquo gregi.
Exprimit oceani vivo natura colore,
Qui Mæcenatum nomina blanda gerunt
Horum fœcundans in rivos gratia manat
Qui sibimet nullas esse queruntur aquas.
Sunt etenim multi, qui paupertate fatiscunt,
Et quorum macram vult Deus esse penum.
Suffecisse illis lac torrida zona videtur
Quando facultatum mentio facta fuit.
Cum reliquis ineunt miserum mortalibus orbem;
Ignorant unum se stabilire diem.
Nec tamen angustis hos contabes cere rebus
Numinis immensi cura paterna finit

Hæc

Hæc facit, eiectis mœrorum protinus umbris,
 Obsessum spinis ut gradientur iter.
 Excitat his Numen, mitissima corda, Patronos
 Qui velut auxilio torrida tesqua rigant.
 Parce, VIR ILLUSTRIS MÆCENAS OPTIME, parce
 Da veniam nostro scribere pauca stilo.
 Quæ componendi fuerit mihi paucula, dicam,
 Purgabitque ausus cognita causa meos.
 TE DEUS OCEANI posuit spectabilis instar,
 A quo quam multus pabula rivus habet!
 Heu mihi quod vocum me jam penuria torquet,
 Inferior meritis est mea lingua Tuis.
 Sunt ea jam sortita rudem de plebe poetam,
 Qui quodcunque sonat, non nisi pingue sonat.
 Quot TUA pauperie clementia ventilat ustos
 Quam multusque TUAM sensit egenus opem!
 Questibus ærumnis lacrymisq; dedere repulsam,
 Corda Patrocinio proxima facta Tuo.
 Imprimis facilem Te prædicat esse iuventus,
 Pectora quæ studiis expolienda dedit.
 Nilque fuit Tibimet prius aut antiquius unquam
 Quam teneri semper cura gerenda gregis.
 Ipsam præsignis te munificentia laudat,
 Nec se factitia pingere laude finit.
 Nec modo jam floret sed transmittetur in ævum,
 Possit ut a fera posteritate legi.
 Ergo coit juvenum veluti densissima nubes
 In quorum fluxit gratia larga sinus
 Agminibus vero his interferor ipse clientum,
 Oceanum testor Teque fuisse mihi.
 Me simul ac civem facerent Halensia tempe,
 Artibus aptantem pectora casta bonis
 Tunc TUA præsigni me gratia munere fulsit
 Quo vel ad hunc lætus fulcior usque diem
 Sum compos, pastu quæ prænitet ubere, mensæ
 Cui, quicquid dici copia possit, inest
 Sæpius hoc munus devincta mente rependi
 Cum mihi frangendus naret in ore cibus.

Con-

Conscia votorum non tangitur hora meorum,
Multoties uno iussa redire die.
Quæ transacta igitur tacito sunt pectore dudum
His, quamquam macris, egero vota modis.
Sol etenim rursus sua signa recensuit orbi,
Atque recente suas induit igne faces,
Festa renascentis celebrantur jugiter anni,
Præ reliquisque precum fertile tempus adest.
Res agitur votis, cum strena ferenda fuisset:
Est infra vires mittere plura meas.
Oceanus quare qui dicitur esse bonorum,
A quo dimanant prospera quæque, Deus.
Hoc, qui nunc iterum ceu vitæ redditur, anno
Te velit innumeris accumulare bonis.
Clemens ille pater pavit Te pane doloris,
Teque anno pressit prætereunte nimis
Sunt TUA membra etenim morbo depasta tenaci
Vix trahere ossa datum corporis ægra fuit.
Fræna diuturnis his morbi insultibus addat,
Quæque dedit Numen tristitia, tollat idem.
Ora serenentur, facies hilarata nitescat,
Sæpius infestis obtenebrata malis.
Lætitia quod vis genus hoc TIBI rideat anno:
Conferri possint gaudia nulla Tuis.
Mordaces nunquam pungant TUA pectora curæ,
Si veniunt aliquæ, dummodo dente carent.
Ultra se tollat solis lunæque labores
ILLUSTRIS, fama subveniente, DOMUS.
Ignoret tristes eadem DOMUS ALTA cupressus,
Mortis in hanc sceptrum mitius esse velit.
Accedant anni, nec eorum mole premaris,
Augustæ pingant tempora viva nives.
In Te condiscat fieri mansueta senectus,
Et se tormentis exonerare pigris.
Pacatæ ducas felicia tempora vitæ
Calleat adversi Te cruciare nihil.
Hæc si contigerint grates ad sidera mittam
Et laudum e labris agmina mille volent.

❧ (o) ❧

78 N 12, Kapitel [104]



v208



78 N 12 [104]

AFFLUENTIAM
 GRATIÆ COELESTIS
 PRO
 INSIGNIS BENEFICENTIÆ
 PROFLUENTIA
 PER-ILLUSTRI ATQVE EXCELLEN-
 TISSIMO DOMINO,
DN. CAROLO
 de **DIES**

CONSILIARIO POTEN-
 BORUSSIÆ INTIMO ET
 PROVINCIÆ MAGDE-
 DITUUM DIRECTO-
 TOPARCHÆ IN DIEB-

MÆCENATI
DEMISISSIME

SUB AUSPICIUM HUIUS
 APPRECARI VO-

PER-ILLUSTRIS

OBSERVANTIS
 JOHANN GOTTLOB
 Theo

HALE MA
 Typis CHRISTOPH. AN-



Kapsel 78 N 12 [104]

AK